


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849, enthaltend fol. 74a-231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.



39

ambulare propter nimium populi tumultum, et bestiarum, camelorum, dromarum, equorum, asinorum, mulorum concursum, de quibus intollerabilis excitatur pulvis, et propter Mamalucorum improvisam percussorem; ideo ubique in bivis stant asinarii cum asinis paratis, vel cum equis stratis et ornatis sellis, strepis et phaleris sericis, et qui vult bonam et ornatam bestiam, potest accipere, sed oportet meliusolvere, quam si reciperet simplicem et rusticosam. Sicut enim Venetiis stant in rivis canalium et lacunarum barcarii cum ornatis barcis et invitant homines, ut ad se intrent, sic et hic est cum bestiis.

Consequenter per populum progressi habuimus obvium Saracenum cum fuste et gladio, qui ducebat per multitudinem sex homines seminudos concatenatos, manicis ferreis ad unam manum. Hi captivi dum nos vidissent, clamabant italicis verbis ad nos pro elemosyna, dicentes, se esse captivos Christianos, ratione delictorum detentos; siquidem hanc pagani habent cum suis captivis pietatem, quod tribus vicibus in septimana de custodiis concatenati educuntur per populosos vicos, et in magnorum dominorum curias ad mendicandum, et si quid datum eis fuerit, dimittitur eis, seque redimunt cum illis pecuniis; suam enim causam proclamant et paupertatem lamentantur et culpam vel innocentiam pronunciant. Si veniunt eis obviam Christiani, petunt ab eis elemosynam in nomine Christi et beatae Mariae Virginis et aliquorum Apostolorum vel Sanctorum, quos nominunt. Si Judaei obviant, petunt eos in nomine Dei et Abrahae et Moysis. Si Saraceni, clamant ad eos in nomine Machometi. Et ita omnem hominem interpellant. Datur etiam eis facultas, quod dum per vicos ducuntur, quidquid de pategis mercatorum rapere possunt manu illa, qua ligati non sunt, hoc eorum est, et si mercator (b) vult rehabere, oportet cum pecunia redimere. Similiter si quis in canistro vel sporta aliquid defert, fructus, panes, carnes, pisces et hujusmodi, si possunt illi captivi attingere, ad se rapiunt, non tamen sinuntur currere et insequi homines, sed solum id, quod improvise accurrit, invadunt. Hoc homines scientes se ab eis custodiunt. Et isto modo saepe vidimus multa paria colligata in civitate ambulare; sunt enim Orientales ex natura pii, et invitissime effundunt sanguinem humanum, nec faciliter occidunt etiam pessimos ribaldos, nisi grande periculum reipublicae im-

050

048

054

044

059

039

099

149

549

Ende

Anfang